



Junta de Andalucía

Consejería de Desarrollo Educativo y Formación Profesional

Procedimiento selectivo 2023

Convocado por Orden de 6 de marzo de 2023, para el ingreso en los Cuerpos de Profesores de Enseñanza Secundaria, Profesores de Escuelas Oficiales de Idiomas, Profesores de Música y Artes Escénicas, Profesores de Artes Plásticas y Diseño, Maestros de Taller de Artes Plásticas y Diseño y Profesores Especialistas en Sectores Singulares de Formación Profesional.

**(590) Profesores de Enseñanza Secundaria
(003) Latín**

**Primera prueba
PARTE A**



A) Elija **UNO** de los dos siguientes textos propuestos para su traducción. **NO** se permite el uso del **DICCIONARIO**.

1. P. Cornelius Tacitus

sed non ope humana, non largitionibus principis aut deum placamentis decedebat infamia quin iussum incendium crederetur. ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis adfecit quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. auctor nominis eius Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat; repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam quo cuncta undique atrocitas aut pudenda confluunt celebranturque. igitur primum correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud proinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt. et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contacti laniatu canum interirent, aut crucibus adfixi aut flammandi, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur. hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat et circense ludicrum edebat, habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens. unde quamquam adversus sontis et novissima exempla meritis miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica sed in saevitiam unius absumerentur.

Interea conferendis pecuniis pervastata Italia, provinciae eversae sociique populi et quae civitatum liberae vocantur. inque eam praedam etiam dii cessere, spoliatis in urbe templis egestoque auro quod triumphis, quod votis omnis populi Romani aetas prospere aut in metu sacraverat. enimvero per Asiam atque Achaiam non dona tantum sed simulacra numinum abripiabantur, missis in eas provincias Acrato et Secundo Carrinate. ille libertus cuicumque flagitio promptus, hic Graeca doctrina ore tenus exercitus animum bonis artibus non induerat.



2. P. Ovidius Naso

forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,
fit minor et spatio carpitur ipsa suo.
nec uiolae semper nec hiantia lilia florent,
et riget amissa spina relicta rosa;
et tibi iam uenient cani, formose, capilli, 5
iam uenient rugae, quae tibi corpus arent.
iam molire animum, qui duret, et adstrue formae:
solus ad extremos permanet ille rogos.
nec leuis ingenuas pectus coluisse per artes
cura sit et linguas edidicisse duas: 10
non formosus erat, sed erat facundus Vlixes,
et tamen aequoreas torsit amore deas.
o quotiens illum doluit properare Calypso
remigioque aptas esse negauit aquas!
haec Troiae casus iterumque iterumque rogabat; 15
Ille referre aliter saepe solebat idem.
litore constiterant; illic quoque pulchra Calypso
exigit Odrysii fata cruenta ducis.
ille leui uirga (uirgam nam forte tenebat),
quod rogat, in spisso litore pingit opus. 20
'haec' inquit 'Troia est' (muros in litore fecit),
'hic tibi sit Simois; haec mea castra puta.
campus erat' (campumque facit), 'quem caede Dolonis
sparsimus, Haemonios dum uigil optat equos.
illic Sithonii fuerant tentoria Rhesi; 25
hac ego sum captis nocte reuectus equis'
pluraque pingebat, subitus cum Pergama fluctus
abstulit et Rhesi cum duce castra suo;
tum dea 'quas' inquit 'fidas tibi credis ituro,
Perdiderint undae nomina quanta, uides?' 30

B) Elija **UNO** de los dos siguientes textos propuestos para su traducción. **Se permite** el uso del **DICCIONARIO** y se realizará un **comentario** sintáctico-estilístico, histórico o métrico-morfológico según las características del/de la autor/autora.

1. C. Petronius Arbiter

Matrona quaedam Ephesi tam notae erat pudicitiae, ut uicinorum quoque gentium feminas ad spectaculum sui euocaret. Haec ergo cum uirum extulisset, non contenta uulgari more funus passis prosequi crinibus aut nudatum pectus in conspectu frequentiae plangere, in conditorium etiam prosecuta est defunctum, positumque in hypogaeo Graeco more corpus custodire ac flere totis noctibus diebusque coepit. Sic adflicta se ac mortem inedia persequentem non parentes potuerunt abducere, non propinqui; magistratus ultimo repulsi abierunt, complorataque singularis exempli femina ab omnibus quintum iam diem sine alimento trahebat. Adsidebat aegrae fidissima ancilla, simulque et lacrimas commodabat lugenti et quotienscumque defecerat positum in monumento lumen renouabat. Vna igitur in tota ciuitate fabula erat, solum illud adfuisse uerum pudicitiae amorisque exemplum omnis ordinis homines confitebantur, cum interim imperator prouinciae latrones iussit crucibus affigi secundum illam casulam, in qua recens cadauer matrona deflebat. Proxima ergo nocte, cum miles, qui cruces asseruabat, ne quis ad sepulturam corpus detraheret, notasset sibi lumen inter monumenta clarius fulgens et gemitum lugentis audisset, uitio gentis humanae concupiit scire quis aut quid faceret. Descendit igitur in conditorium, uisaque pulcherrima muliere, primo quasi quodam monstro infernisque imaginibus turbatus substitit. Deinde ut et corpus iacentis conspexit et lacrimas considerauit faciemque unguibus sectam, ratus scilicet id quod erat, desiderium extincti non posse feminam pati, attulit in monumentum cenulam suam, coepitque hortari lugentem ne perseueraret in dolore superuacuo, ac nihil profuturo gemitu pectus diduceret: omnium eundem esse exitum et idem domicilium, et cetera quibus exulceratae mentes ad sanitatem reuocantur.

2. L. Lucretius Carus

ergo corpoream ad naturam pauca videmus
esse opus omnino: quae demant cumque dolorem,
delicias quoque uti multas substernere possint
gratius inter dum, neque natura ipsa requirit,
si non aurea sunt iuvenum simulacra per aedes 5
lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
lumina nocturnis epulis ut suppeditentur,
nec domus argento fulget auroque renidet
nec citharae reboant laqueata aurataque templa,
cum tamen inter se prostrati in gramine molli 10
propter aquae rivum sub ramis arboris altae
non magnis opibus iucunde corpora curant,
praesertim cum tempestas adridet et anni
tempora conspergunt viridantis floribus herbas.
nec calidae citius decedunt corpore febres, 15
textilibus si in picturis ostroque rubenti
iacteris, quam si in plebeia veste cubandum est.
quapropter quoniam nihil nostro in corpore gazae
proficiunt neque nobilitas nec gloria regni,
quod super est, animo quoque nil prodesse putandum; 20
si non forte tuas legiones per loca campi
fervere cum videas belli simulacra cientis,
subsidiis magnis et opum vi constabilitas,
ornatas armis statuas pariterque animatas,
his tibi tum rebus timefactae religiones 25
effugiunt animo pavidae mortisque timores
tum vacuum pectus lincunt curaque solutum.